


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,  
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

241



239

245

bus et recessit nobiscum. Semper autem mane descendit ad me  
in cumbam meam ad dicendum mecum officium, quia per se li-  
brum non habuit. Quem dum interrogarem, ubi suum haberet  
breviarium, cum gemitu et lachrimis occulte dixit mihi, se esse  
captivum pro eo, quod mentionem fecisset in quadam vaga locu-  
tione de rege eligendo in Cypro, propter quod subito eum ra-  
puissent in galeam nec ei redditum in suam habitationem ad tol-  
lendum breviarium et cappam indulssissent. Compatiebar viro,  
quia personatus et discretus vir erat, ei bene a Latinis college-  
rat. Et tantum de regibus Cypri et de saeculari ejus statu.

235

250

230

290

190

### De Episcopatibus regni Cypri.

340

140

Episcopatus vel dioeceses quatuor sunt in toto regno Cypr. Episcopatus primus est in Nicosia, quae est metropolis regni, et est hodie civitas magna, non maritima, sed in corde insulae sita, quinque alemannicis milliaribus a mari distans, cineta fertilibus montibus et amoenis; per medium civitatis est torrens magnus, qui suis temporibus redundat aquis impetuose decurrentibus, verum quando ego eram ibi, non habebat guttam aquae.

De universo mundo sunt in hac urbe mercatores, fideles et infideles. Multae sunt ibi apothecae et pretiosae, quia aromata cruda orientis huc deferuntur et arte pigmentariorum conficiuntur, sed et in ipsa insula crescunt pigmenta et fluunt aromata; ideo apothecae illius civitatis sunt quasi origines, ex quibus in alias mundi apothecas fluunt pigmenta.

Ecclesiae multae sunt in illa urbe, tam latinae quam graecae. In latinis sunt campanilia cum campanis, et cum clericis latino more officiantibus. In graecis sunt pinnacula cum ligneis instrumenis, quibus convocant suum populum ad divina, et graece canunt et legunt. Ecclesia metropolitana est latina, et dicitur ad sanctam Sophiam, estque competenter magna et bene ornata, cum archiepiscopo, canonicis et clero provisa. Ad latus ecclesiae dextrum est una capella, in honore Sancti Thomae de Aquino consecrata, in qua Legenda doctoris sancti pulcherrimo schemate est depicta, et tabula aurea altaris ejus continet gesta. In hac capella hoc memoriale insigne vidi, quod sequitur: stabat enim

Ende

Anfang